

18

INDEX

SCHOLARUM AESTIVARUM

PUBLICAE ET PRIVATIM

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

INDE A DIE XXV M. APRILIS

USQUE AD DIEM XXXI M. AUGUSTI A. MDCCCLXXXI

HABENDARUM




PRÆMISSA EST

MAURICII SCHMIDT ANTIQUARUM LITTERARUM PROFESSORIS P. O.
COMMENTATIO DE COLUMNA XANTHICA.

I E N A E

PROSTAT IN LIBRARIA ED. FROMMANNI.



Quatuor columnae Xanthicae latera quonam disponi ac describi ordine debeant, ut tandem aliquando literas in ea inscriptas tuto explanare possimus, quaestio est tam obscura tamque difficilis, ut quamvis a multis deinceps sit proposita, neminem tamen invenerit, a quo iure dici possit dissoluta. Certe non dissolvit J. Savelsbergius Aquisgranensis, qui quid ea de re sentiret his verbis demonstravit in *Symbol. Lyciis* II p. 209: „Nachdem wir am Grabmal des Pajava (II 202), wie auch an dem des Märähi (II 205) die nordliche Seite als die erste, die westliche aber, welche den Eingang zur Kammer enthält, als die letzte constatirt haben, dürfen wir dies Ergebniss auch auf die Grabstele (?) von Xanthus anwenden, besonders da die Nordseite sogleich oben des Erbauers des Denkmals Erwähnung thut(?), mit welchem alle Grabstelen beginnen. Indem wir nun von der nördlichen Seite als der ersten ausgehen — wie zufällig (etwa wegen des griechischen Epigramms) auch Fellows, welcher jedoch wegen der schöneren Buchstaben den Anfang an der Westseite anzunehmen geneigt war (*Account* p. 169) — so dürfen wir nicht von dort zur westlichen, darnach zur südlichen übergehen und in der Ostseite den Schluss annehmen, zumal diese mit *SITPT*, also nicht mit einem vollen Worte schliesst, sondern wir gehen in der entgegengesetzten Reihenfolge von der nördlichen zur östlichen, von da zur südlichen Seite über, und erwarten in der westlichen den Schluss, wofür auch der Umstand spricht, dass die Buchstaben der Westseite in einem schöneren und kühneren Stile, wie Fellows sagt, geschnitten sind, indem der Steinmetz in Folge der langen Beschäftigung und Uebung an der grossen Inschrift zuletzt grössere Fertigkeit entwickeln konnte.“ Putat igitur, id quod Knötelio quoque in mentem occurrisse memini, inscriptionis legendae initium a septentrionali columnae latere esse faciendum, ibidemque ipsum monumenti aedificatorem nominis sui mentionem fecisse contendit.

Audacter dictum tanta confidentia poni potuisse demireris. Quaerentibus enim monumenti conditor quis fuerit, Graecum epigramma in eodem latere incisum planissime respondere infra videbimus: scilicet non unum fuisse sed plures, eosque Harpagidae consanguineos. In primis vero lateris borealis versibus, quibus Savelsbergius testimonium denunciat, quid legimus? nihil profecto, quod manifestam habeat sententiam, cum in v. I post lacunam undeviginti literarum

non supersint nisi duodecim literae, eaeque divisore carentes: otozisaprína . . . , itemque in v. 2 post partem vacuum, octo literis explendam, verba haec: — he: tideimi: se: parzza: gbide: i. e. — filius et Persarum rex. Atqui, aiunt, iniuriam facis viro doctissimo: aedificatorem enim sive conditorem non eum dicit, qui impensas fecerat, sed monimenti architectum, cuius nomen cum in ipsis v. 1 reliquiis ingeniose sic distinctis restauratisque: Otozisa: prína[fate] latere vidisset, "Otozisa, . . . ac filium, natione Persam, in monimento illo exstruendo senum peritorum adiumento usum esse" contenderat. Audio, sed totam illam argumentandi rationem reprobaverim. Primum enim quid impedit, quominus continuam scripturam otozisaprína ita potius solvamus, ut verbi medii exitum — oto(:) excipiat nomen sive proprium sive appellativum zisaprína, significationis quidem adhuc obscurae, sed eiusdem terminationis atque kissaprína ter in eodem latere obvium (λιθοξόος)? deinde ante id, quod est Otozisa, quid quaeso dictum fuisse suspicemur, quo non necessario turbatus fuerit ordo verborum is, quem in titulorum initio legitimum fuisse in comment. de tit. nonn. in Lycia repertis p. 7 (Jen. 1876. 4^o) demonstravimus? denique quis unquam audivit verbum prínafate, de cuius vi ac potestate ex inscriptionibus bilinguibus satis constat, non tam de eo dictum esse, qui architecti opera uteretur (aedificandum curavit), quam de ipso architecto (exstruxit)? Atque ut concedatur, architecti quoque operam hoc vocabulo significari potuisse, qua re Lycios, quorum artem in exigendis monimentis admirabilem etiamnunc cum stupore quodam contemplantur, adductos esse putemus, ut in columna illa Xanthica collocanda Persae alicuius opificis opera, quam indigenarum fabrorum arte, uti mallent; utque re vera barbarum acciverint, adeone dexteritas ab aetate secerni non potest, ut Otozisa ille, quem Savelsbergius sibi deprehendisse visus est, in opere faciendo sociis usus esse dicatur non cuiuslibet aetatis, sed senibus omnibus? Accedit, quod veri parum est simile, in monimento, quod sibi suisque maximo ornamento esse voluerunt Lyciorum reguli, artificii tantum sibi sumere licuisse, ut in ipsa tituli fronte suum nomen quantumvis nobile poneret, quamquam aedificiis ignobilioribus non omnino pepercisset artificum ambitionem, quin incisis nominibus suis vanam gloriolam captarent, paucis exemplis comprobavit Carolus Keil in Philol. Gotting. vol. V p. 656. — Sed non opus est haec pluribus exequi. Ea enim est tota monimenti, de quo agimus, condicio, ea natura, ut inscriptionis initium lateri septentrionali inscriptum fuisse nullo modo concedere possimus. Tu modo Schonborni tabulas accuratissime delineatas (Jen. 1868 fol.) animo paullo intentiore inspicias, ac statim intelleges, lapidis quadrati superficies australem orientalemque rimas fissurasque egisse perpaucas tantum, easque levissimas, latera vero ad septentrionem occasumque vergentia rupturas duxisse plurimas foedissimasque, quae ne dubites quin exstiterint, antequam titulus incideretur, conferas lateris septentrionalis versus 15. 34, occidentalis v. 30. Atque omnium pessime habitum fuisse latus occidentale manifestum est, sed non multo meliorem fuisse borealis condicionem, docent partes eius et sinistra graeco epigrammate superior et dextra inferior.

Quae cum ita essent, laudabilem quidem curam adhibuit lapicida, ut materiei vitia quanta maxima posset cura occultaret, ideoque praecipue in parte occidentali summam in scriptura poneret curam; sed ob id ipsum ne cogitari quidem potest, eundem artificem prima tituli gravissimi capita deterioribus lapidis partibus incidisse, cum duo alia praesto essent latera, si non omnibus at certe gravioribus maculis carentia.

Accedit altera caussa, qua quam vehementer erraverit Savelsbergius etiam clarius probatur, eaque in ipsa scriptura posita dextrorsum tendente. Quae si Semiticarum literarum more a dextra ad laevam se converteret, pro re nata cogeret sane lectorem, ut perlectis literis in parte septentrionali inscriptis, ab infimo tabulae angulo sinistro porro ad orientem se converteret, quo facto lectionem a dextro tabulae orientalis angulo superiore exorso porro ipsi ad austrum, denique ad occasum esset procedendum. Iam vero scripturam a laeva dextrorsum tendentem eodem modo legere conanti quid fiet? Lecto latere septentrionali eiusque dextrum angulum inferiorem nactus, quo, si sanae mentis est, in legendo perrecturus se convertet? Retrone orientemque versus, ad dextrum angulum superiorem? Vix credam, sed eo opinor, quo ipso scripturae cursu reapse ducitur, h. e. ad latus occidentale, unde fiet, ut, postquam tenorem inscriptionis australem cognoverit, in parte orientali legendi finem facturum sit. Quod cum fieri nequeat, quoniam tituli partem in latere orientali inscriptam in media voce terminari diximus, manifestum est, lectionem non cum Savelsbergio a latere septentrionali inchoandam esse, sed, cum nihilominus in latere occidentali nobis quoque subsistendum sit, nullo intervallo interiecto a septentrione ad occasum nobis procedendum esse. His demonstratis simul, qui tabularum fuerit ordo genuinus, intellegitur; apparetque graviter errasse Fellowsium Anglum, cum propter maiorem scripturae diligentiam tabulam occidentalem tituli initium continuisse contenderet. Imo haec tabula ut pessimam praebebat lapidario materiam, ita, nisi forte aliqua perierunt, etiam finem tituli continebat; praecedebat autem tabula borealis, cuius materies aliquanto esset melior, unde, cum ad australem pergere ratione vetemur, necesse est, ut septentrionali orientalem praecessisse dicamus, initium autem tituli in australi extitisse, cuius nunc fere dimidiam partem periisse dolemus. Itaque futuro columnae Xanthicae interpreti auctor sim, ut lectionem ab australi latere orsus proximam narrationis partem in latere orientali quaerat, indeque ad septentrionale progressus in extremis lateris occidentalis versibus subsistat.

Rem sic se habere etsi hoc uno argumento satis confirmatur, addam tamen etiam aliud, quo idem effici planumque fieri, ubi primum in hanc rem inquirere coepi, cognovi. Commendantur enim latus occidentale totum, septentrionalisque lateris altera pars dimidia, uno potissimum bono utrique communi ac peculiari, quod non modo singula verba divisoribus accurate positae sciungunt, sed etiam periodorum colorumque ambitus singulari quodam signo, quod eodem usus consilio in titulo etiam Antiphellensi a Texierio descripto lapicida adhibuit, definientes curaverunt. Atque in tabula boreali signum illud, cuius forma haec est :) novies comparet

v. 35. 40. 45. 47. 49. 52. 54. 57. 59, in occidentali decies sexies: 7. 10. 29 (30). 34. 37. 40. 44. 50. 53. 56. 59. 62. 65. 67. 70, quibus locis adde v. 47, ubi etiam plenius :): est distinctum et v. 4, ubi punctis caret lunula). Quam distinguendi rationem accuratorem cum non modo a lateribus australi atque orientali, sed etiam ab anteriore tabulae septentrionalis particula prorsus alienam esse viderem, non immerito mihi suspicari videbar, partem illam diligentiore distinctione insignem et eadem sive manu sive aetate esse exaratam¹⁾ et in communem fere sententiam esse conscriptam. Neque incertam fuisse hanc existimationem non sine gaudio meo cognovi, cum in verborum et delectum et iuncturam attentius inquisivissem. Ne longus sim, confer modo primum lateris sept. caput v. 33—35 cum his vocabulis, e latere occidentali repetendis: *MP^{ua}* 48, *AA^uPA* 34, *zazati* 32, *sebepasbasi* 36. 37 (*pasbusu*), *gitabupe* 41; neque negabis *jireimedi*—*slot*| 2 apte cum *mezireima*—*slati*, aut *gustike* 49 cum *gusttedi* (lat. sept. 33) et *gustitesu* componi posse. Ex altero tmemate notavi *trüviz* l. 14. 44, *zplli* 43, *AA^uPA* 34, *trbbdi* 27. 34, *trámilija* 62, *ufeti* 7, *esonomla* 13. 37. 64, (*gbadasi* 36. 51—52); e tertio voro 54 (1), *pssiti* 16, *lelebedi* 15, *predi* 32 et *slama|ker* 26 cum *kere*—*sломати*, quod in tab. septentr. legitur comparandum. Deinde e quarto tmemate emergunt gemella haec: *fagsadi* 30, [*z*]ireimemedi 2, *gbadasasi* 36. 51, *klleima* 61, *fijedri* 42, *ítufetoni* 29. 31. *sebe:pasbasi* 36. 37; 50; item ex quinto *fagsadi*, *gusttite*, *klleimedi*, *tufi* 34, *zrivali* 32, *nei* 70. Quibus e sexto adde *trisu* 70, *uino* 8, *tuburiz* 31. 32 (29), *guzrufotiz* 56, e septimo *ali* 3, *epítadi* 33, *pasbo*, denique ex octavo *tuburiz:uplesiz* 31. 32, *oti:tápefoti* 57, e nono *momezí* 28(?) *klleimedi*, *guzrítas* 8, *tulijeli* 5, *trüviz*, *faburo* 66 et fortasse — *eneu* 15 cum *Kibeufeneu* (lat. sept. 59) comparandum. Quemadmodum autem posteriori lateris septentrionalis parti tantus est in verborum delectu cum tabula occidentali consensus, ut de argumenti quoque perpetuitate omnis dubitatio praecisa esse videatur, ita etiam prior tam multa cum tabula orientali habet communia, ut quin haec quoque latera arctissima argumentorum cognatione teneantur dubitari nequeat. Non desunt quidem, quae ad australe etiam latus nos ablegent, veluti quod v. 3 legitur *zggote:terí* ad l. a. 49 *zggona:terí*, vel v. 8. *gitafatehi:gbidoinehi* ad l. a. 46 *gbidi:gitafatehi*; v. 5 *malijahi* ad l. a. 38, v. 6 *ámi* ad l. a. 35, v. 13 *erbbedi* ad l. a. 42, v. 16 *gla* . . . ad l. a. 45 *glaina*; sed multo maior eorum vocabulorum est numerus, quae ad orientale latus septentrionalisque partem priorem simul pertinent. Haec quoque in conspectu ponam:

1) Quamquam scio quid obici possit. Nam recte scribendi rationi convenientius est e. c., quod in latere orientali legitur *fagssa*, quam quod boreale porrigit *fagsa*.

Lat. orient.	Vocabula.	Lat. septentr.
v. 16 (15)	trrbi	v. 3.
27.	atonas	v. 3.
	stt . . sttoti — sttati	v. 5.
52.	pddoti	
	ddefo : zggazoi	v. 6.
	sedefo : zggaza	
3.	zggazije	
	ddefe	v. 9.
55.	urublijo	
34. 42.	urublijedi	
59.	azzalo(i)	v. 10.
	telozijehi ūlo	v. 12.
13.	[te]lozijehi ulaoese	
19.	erbbedi	v. 13.
46.	itepi	v. 15.
6.	arusi	

Quapropter non dubito, quin primus lateris septentrionalis versus ab iis voc. *SITPT* . . syllabis (*PZE*) inceperit, quibus in extremo latere orientali locus defuisset.

§. 2. Iam vero tabularum ordine recte constituto, reliqua etiam veriore ratione iudicabimus. Ac primum quidem, quamvis tabulae australis magna pars perierit, ex ea tamen, quae aetatem tulit, re vera emergit mentio monimenti alicuius magnificentius exstruendi. Nam quod vocabulum diximus Savelsbergium prava coniectura fretum tabulae septentrionali perperam intulisse prinafate, hoc ipsum plene scriptum porrigit hoc enunciatum, versibus l. a. 17—19 comprehensum:

eimi : arafazijedi : kuprll[i : ebija : ara —
 fazija : prinafate : tumi[ne
 trbbos : atlahe : ehbije

ut iam in ea quaestione versemur necesse sit, quod nomen fuerit eius, qui columnam collocandam inscribendamque curavisset. Cuius rei, quod plenam cognitionem consequi possimus, forte fortuna uni debemus epigrammatis Graeci auctori, quod infra totum exhibemus ad Schonborni exemplum accurate expressum:

[E]ΞΟΥΤΕΥΡΩΠΗΝΑΣΙΑΣΔΙΧΑΠΟΝ[Τ]ΟΣΕΝΕ[ΙΜΕΝ]
 [Ο]ΥΔΕΣΠΩΔΥΚΙΩΝΣΤΗΛΗΝΤΟΙΑΝΔΕΑΝΕΘΗΚΝ
 [ΔΩ]ΔΕΚΑΘΕΟΙΣΑΓΟΡΑΣΕΝΚΑΘΑΡΩΙΤΕΜΕΝΕΙ
 . . ΕΩΝΚΑΙΠΟΛΕΜΟΥΜΝΗΜΑΤΟΔΕΑΘΑΝΤΟΝ

5 . . . Ι . ΙΣΟΔΕΑΡΗΛΓΟΥΙΟΣΑΡΙΣΤΕΥΣΑΣΤΑΑΠ|Α|Ν[ΤΑ]
 . . . ΡΣΙΗΑΛΗΝΛΥΚΙΩΝΤΩΝΤΟΤΕΝΗΛΙΚΙΑΙ
 |Π|ΟΛΛΑΣΔΕΑΚΡΟΠΟΛΕΣΣΥΝΑΘΗΝΑΙΑΙΠΤΟΔΙΠΟΡΘ|ΩΙ|
 [Π]ΕΡΣΑΣΣΥΝΓΕΝΕΣΙΝΔΩΚΕΜΕΡΟΣΒΑΣΙΛΕΑΣ ΑΣ
 [ΟΙ]ΧΑΡΙΝΑΘΑΝΑΤΟΙΣΙΑΠΕΜΝΣΑΝΤΟΔΙΚΑΙΑΝ ΔΕ
 10 ΕΠΤΑΔΕΟΠΑΙΤΑΣΚΤΕΙΝΕΝΕΝΗΜΕΡΑΙΑΡΚΑΔΑΣ ΑΝ
 ΖΗΝΙΔΕΠΕΣΤΑΤΡΟΠΑΙΑΒΟΤΩΝ . . Η . ΕΝΑΠΑΝ[Τ]ΩΝ
 ΚΑΛΑΙΣΤΟΙΣΔΕΡΓΟΙΣΚΑΙΚΑΙΕΝΟΣΕΣΤΕΦΑΝΩΣΕΝ

V. 1. 2. Ope Simonidis fr. 142 p. 1167 Bgk. restituit Boeckhius.

V. 2. Οὐδέξ non magis attrectandum esse, quam ἀκροπόλες v. 7, πλέστα v. 11, βασιλέας v. 8, et Ἀρπάγο v. 5 dixi in Stud. Lyc. nov. p. 129. Adde Savelsberg Symbol. fasc. II p. 212. — τοιάνδε ἀνέθιχεν, ut δὲ ἀθάνατον v. 4, δὲ Ἀρπάγο v. 5, δε ἀκροπόλες v. 7, δὲ ὀπλίτας v. 10 indicio sunt, vocabula in ε̄ exeuntia ante ᾱ et ὀ plene scribi esse solita; aliam rationem sequuntur τ' Εὐρώπην v. 1, τότ' ἐν v. 6, δ' ἔργοις v. 12. — ἀνέθιχεν lapicidae error est, ut ἀθάνατον v. 9, ἀπεμνσαντο v. 9, πέστα v. 11, βοτῶν v. 11, et fortasse κα v. 12.

V. 4. (ν)ζέων suasit Bergkiius.

V. 5. Χέρσις Ioannis Franzii est coniectura parum probabilis. Si nomen proprium subsesset, praesto essent alia nomina commendabiliora, velut Χαῖρις Δεῖμις Κρίνις Μοῖρις Νεῖτις. Verum quis credet pro Χέρσις δε ὁ Ἀρπάγον vel ὁ δε Ἀρπάγον υἱὸς Χέρσις ὄνομα dici potuisse Χέρσις ὁ δε Ἀρπάγον υἱὸς? Non magis probandum quod a Martino primo propositum Savelsbergius recepit ἔκτισε. Primum enim lapicida hoc plene scripturus fuisset, ἔκτισε, ut δὲ ὀπλίτας, quia ε̄ sequente ὀ non elidebatur; 2) sic prior quidem lacuna expletur, altera non item; 3) permirus foret verborum ordo pro ὁ δε Ἀρπάγον υἱὸς ἔκτισε. — Recte sub exitum versus ΤΑ adiiciunt, quamquam in lapide ipso plura extitisse, quam ΑΠΛΑΝΤ vix credam. Plures enim quam triginta quinque literas versuum spatia non capiebant: cf. 8—10. Male A. Knotel τὰδ' ἔπαισεν.

V. 6. Recte opinor Χερσι coniciunt, cf. Soph. Trach. 488 πάντ' ἀριστεύσας χερσῶν. De ΠΑΛΗΝ i. e. παλῆν (πάλμυς) sive βαλῆν vid. Stud. Lyc. nov. p. 130.

V. 7. Literis ΩΙ in hoc versu, in quo Θ littera est tricesima quinta, locus non erat.

V. 9. ὦν quod Franzius versus initio pro ΠΙ substitui iusserat, Savelsbergius incautius arripuit. Nam ut videatur sententiae posse convenire, spatium tamen duas literas non admittit. Reposui igitur οἱ literis minutoribus exaratum, quod unius literae spatium exaequaret. Solet enim lapicida spatium uni literae concessum ea condicione duabus explere, ut altera sit 7. Cf. υἱὸς, Ἀθηναῖαι, δικαίαν, πτεῖνεν, ἡμέραι, τροπαια, καλλίστοις, ἔργοις, καί, σιγγενέσιν, βασιλέας, ἀθανάτοισι, ὀπλίτας. Ceterum οἱ h. l. idem sonat, atque καὶ οἱτοι δῆ.

V. 11. vulgo [ἔστ]η[σ]εν restituunt, lapicidam ΕΤΗCEN vel ΕCΗCEN dedisse rati. Quod

etsi non nego epigrammatis auctorem scribere potuisse (nam et *τρόπαια στήσαι* dicitur et *στήσασθαι*) malim tamen [ἴ]γε[ρ]εν, quia literarum numerum non excedit.

V. 12. Hic quoque Franzii coniecturam *κα[τὰ] κα[τ]* cupidius arripuit Savelsbergius. *AI* enim unius literae spatio explendo aptum erat, *τᾶ* non item. Scribendum igitur *καὶ ἴ* (h. e. *καὶ ἴ*) *καὶ γένος*, cum de nomine proprio cogitari non possit.

Neminem fugiet poematii auctorem neque ingenio abundasse, neque arte multum valuisse; quamquam aliquanto plus valuisse, quam criticis visum est, pro certo affirmaverim. Nam cum de inscriptione ageretur monumento urbis splendidissimo incidenda, quisquis eam imperabat, eum non primum quemque epigrammatarium adire consentaneum erat, sed quem mandata diligentissime executurum esse sperare posset; videnturque ipsi versiculi lapidi inscripti testari, nihil ultra cupivisse monumenti aedificatorem. Quid quod Simonidis etiam imitandi studium non modo hominem prodit in optimis Graecarum literarum dotibus egregie versatum, sed eum etiam, qui quod legisset dextre scienterque in suam rem accommodare didicerit. Tametsi igitur non magna est in poeta nostro suavitas, satis tamen Graece doctus fuisse putandus est, ut sibi a talibus portentis caveret, qualia Franzios Martinios Savelsbergiosque ei obtrusisse diximus. An vel miserrimum scriptorem censeamus structura tam contorta usum esse:

*Δώδεκα θεοῖς ἀγορᾶς ἐν καθαρῷ τεμένει
νικέων καὶ πολέμου μνημα τόδ' ἀθάνατον
ἔκτισ' ὁ δ' Ἀρπάγου υἱὸς ἀριστεύσας τὰ ἅπαντα,
χερσὶ πάλιν, Λυκίων ἰῶν τότε ἐν ἰλκίᾳ:*

ut hanc sententiam verbis efferret: "Harpagi autem filius, inter Lycios qui tum fuerunt et aliis corporis virtutibus et manuum dexteritate in luctatione excellentissimus, duodecim numinibus in aperto fori circulo hoc monumentum condidit ad sempiternam belli victoriaeque reportatae memoriam." Imo si quis et Simonidis carmina legebat et in versibus pangendis ipse periclitabatur ingenioli viriculas, eum sic potius hanc sententiam elaturum fuisse crediderim *ἀνέθηκεν, οἷον τόδε μνημα ὁ Ἀρπάγου υἱὸς ἔκτισε*, eundemque tantum sapiisse, ut luctatus mentione nihil hoc loco fieri putidius atque absurdus posse intellexeret, quo non incruenta victoris agonistici virtus, sed excelsa bellatoris facinora essent praedicanda. Quodsi mihi infitias eundem est, institutam sententiam v. 5^o requirere verbum aliquod, quale est *ἔκτισ'* a Savelsbergio II 212 desideratum, hoc quoque concedere nequeo, verbis illis quidquam inesse, quo in columna illa exstruenda aliquas etiam Harpagi filii partes fuisse probetur. Imo integre iudicantem fugere nequit, epigrammatis auctorem totam materiem sic distribuisse, ut quae dicenda haberet tribus capitibus comprehenderet, quorum primum usque ad v. 4 pertineret, alterum versu 9, tertium v. 12 absolvetur, ita tamen ut v. 9 (*ἀπεμνήσαντο*) diserte ad v. 4 (*μνημα*) adluderet, totiusque carminis primariam contineret sententiam. Harpagi enim filio, cuius nomen ignoratur, contigerat, ut secundis belli eventibus aut nunc primum imperium (*βασιλέας*) nancisceretur, aut quod probabi-

lius est a patre acceptum dilataret. Iam vero cum consanguineos suos, in expugnata opinor oppidula accitos, regni administrandi socios assumpsisset, beneficii in eos collati hoc praemium tulit, ut illi debitam largitori gratiam reddituri, columnam aliquam maximam in foro exstruerent, Diis sacram futuram, quod adiuto Harpagida sibi quoque in imperio consequendo opitulati essent, simulque Harpagidae laudis monumentum, quod rebus praeclare gestis totius generis famam extendisset. Rem perspicuam haberemus forsitan a poeta aliquo scitioris sic fere illustratam: "Nullum adhuc Lycii aspexerunt monumentum, quale est haec columna ab Harpagidae consanguineis XII numinibus in foro consecrata, ut non modo fortunae bellicae, qua deorum voluntate usus est Harpago filius, publica exstaret memoria, sed etiam grati animi testificatio, quod ipsos quoque victor regulos fieri regnique participes iussisset." Nostrum epigrammaticum, cum sententiae summam inscitius (v. 9) enunciato relativo qui dicitur commemorasset *οὐ χάριν ἀθανάτοισιν ἀπεινήσαντο δικαίαν*, rem paulo obscurasse concedimus, verum tamen monumentum illud a consanguineis aedificatum esse, non ab Harpago filio ipso, ne sic quidem obscurum esse poterit. Tu modo translatione usus paulo liberiore sic verte:

Ex quo mare Europam Asiamque dissociat,
 nemo unquam Lycius monumentum tam insigne consecravit,
 quale haec est columna XII diis in aperto fori spatio sacra
 in sempiternam belli exantlati victoriaeque partae memoriam. —

5 Postquam vero Harpago filius inter Lycios aequales
 in omnibus rebus gerendis strenuissimus felicissimusque
 secundante Minerva Victrice multas arces
 fregit, suosque regni participes esse voluit,
 hi grati animi sensus aperire gestientes (et) deorum recordati sunt,
 (et consanguinei sui),

10 quo, cum uno die septem Arcades gravis armaturae concidisset,
 nemo mortalium aut plura tropaea Iovi crexit,
 aut pulchrioribus coronis seque suosque exornavit:

verumque epigrammatis spissioris sensum divinaveris. His expositis intellegitur, consanguineos *συγγενεῖς* (propria significatione, non translata, quae apud Xenophontem valet in Cyrop. I 4, 27) columnae Xanthicae esse conditores, ipsam autem columnam et XII diis, et piaae Harpagidae memoriae fuisse sacram.

Unum est, quod quis non sine veri specie nobis obiciat. Nam quae verbi forma in lateris australis versu 18 exstat, *πρίναφате*, unum aliquid aedificavisse significat, cum a pluribus id factum esse forma *πρίναfoto* indicari doceat titulus Lewis. 1. Sed ut mittam, nomina omnium, quicumque huic operi faciendo pecuniam contribuerant, in primis inscriptionis versibus nunc perditis commemorari potuisse; quid impedit, quominus credamus, rei administrandae

curam ab omnibus uni idque ei potissimum commissam esse, cui ipsa Xanthus imperii sedes obtigisset. Quodsi factum erat, apparet, de hoc intellegendum esse, quod v. 18 legitur *prinafate*. Ac praesto est caussa, quae re vera hoc factum esse demonstrat. Versu enim 25, ubi de Harpago filio fusius agitur, inter alia haec leguntur: — *hi : arppaguh : tideimi : geriv* [23. 24 (: 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31)] *polleh : gohb : gezivah : tuhes*: Lacunam Savelsbergius supplere non ausus satis habuit II 220 verba *arppaguh : tideimi : geriva(h)* verbis "des Harpagus Sohn Karier" reddidisse, seductus opinor litera *Z*, in eiusdem nominis forma *gerivazi* obvia. At suppleri lacuna potest, idque satis probabiliter, quandoquidem e literarum unius et triginta numero, quem in omnibus versibus eundem fuisse scimus, constat novem hic elementa deesse. Eorum XXXI mum et XXXII fuerunt haud dubie *KO*, quod plurimorum numerorum inscriptione *KOΠΡΙΑΕ* efficitur, XXIII et XXIV autem $\uparrow +$, quia hic brevioris genitivi forma opus esse, genitivorum exemplis evincitur in vicinia positus. Cf. de v. *Gerivah* in col. Xanth. frequenti Stud. Lyc. nov. p. 75. Restat ut vocabulum quinque litterarum divinemus, a quo genitivus proxime antecedens eadem ratione sit suspensus, qua in versu sequenti genitivos nominum propriorum duorum a *gohb*: et *tuhes* pendere videmus et in eodem versu *arppaguh* a v. *tideimi*. Nec dubito *ddedi* restituere, cum praeter *tuhes* et *guhbi* non exstare videatur aliud syngenicon intra quinque litteras subsistens. Non ignoro quidem Savelsbergium in Symbol. fasc. II 36 (I 51) in titulo Limyrensi 6 (29, 2), ubi *Zzajaa*h : *ddedi* commemoratur, *Ἰδεντὸν* s. alumnus intellegere velle ($\sqrt{\text{de}}$, Skr. *dha*, Gr. *ΘΗ*); sed si recte conicimus in columna Xanthica *ΑΗΗΕ* supplendum esse, Savelsbergii argumenta simul infirmata esse apparet. Dolendum quidem est, quod quae cognationis ratio vocabulis *ddedi* et *guhbi* significetur ignoramus, quodque ideo adhuc latet, qua necessitudine Harpago filius, *Gezivae* maritus (cf. commentat. p. 10) et *Gerivam* et *Cuperllim* attigerit. Sed hoc in praesentia parum referre dixerim: maioris momenti est, quod *Cuperllim* (cf. Herod. VII 98 *Κυπερλίσιος* Lyc.) non modo e numerorum inscriptionibus in dynastiarum numerum referendum esse scimus, sed etiam Harpagidae affinem fuisse iam pro certo affirmare possumus. Nam cum quae exposuimus fidem faciant, defectum extremi lateris australis versus 17 sic esse supplendum: *Kuperl[li : ebeija : ara]f...*, iam pronunciare confidentius licebit, ipsius *Κυπερλίσιος* nomen ad *prinafate* esse subaudiendum, *Cuperllim*que fuisse, qui Xanthi in urbe regno potitus affinium suorum iussu ac nomine columnam in foro collocandam curaret. Praeter quem secundas in eodem officio partes egisse videtur *Geriva* ille, qui et ipse in austral. lat. v. 5 (ac fortasse v. 13) commemoratur. Atque haud scio an Harpago filius *Gerivae* frater, *Cuperllis* autem affinis habendus sit, ideo quod *Cuperllis* memoria ad tabulas australem et orientalem solas pertinet, in altera inscriptionis parte, quam et scripturae bonitate et distinguendi ratione accuratius eminere diximus, *Gerivae* mentio non modo saepius fit (l. s. 38. 51. l. occ. 29. 45. 53/4) sed etiam cum Harpago coniuncta (l. τ. 58); ut non improbabile videatur hanc posteriorem par-

tem priori ipsum Gerivam, memoriae etiam suae consulturum, postea addidisse. Qua coniectura si verum assecuti sumus, d d e d i idem atque frater valeat, g u h b i affinis.

Ceterum Harpagi filius num ad eam aetatem duraverit, qua columna erigebatur, vehementer dubito. Nam per tempus adeo breve summae rerum praefuisse videtur, ut ne hoc quidem ei obtigisse videatur, ut iure numos signandi uteretur. Quid quod inter tot numos Lycios qui aetatem tulerunt, ne unus quidem repertus est, qui nomen eius proderet? contra, ut non desunt quibus $\Psi\uparrow PEVP$ nomen incusum est (Fellows XIV 5), ita numerum Xanthicorum ($P PF$) quos Cuperillis cudi iussit, tantus est numerus (Brandis p. 488—90) ut verisimillimum sit hunc fuisse, qui Harpagi filio in regno Xanthico succederet, cum Geriva alia in urbe collega imperii factus esset. Deinde, cui non aliquid admirationis habet, quod non ipse Harpagi filius, ut victorem decebat, diis debitam gratiam stele posita persolvit, sed quod a consanguineis id factum esse epigramma contendit. Denique ne fieri quidem potuisse videtur, ut epigrammatarius v. 6. verbis $\tau\omega\upsilon\ \tau\acute{o}\tau\ \acute{\epsilon}\nu\ \acute{\iota}\lambda\iota\kappa\acute{\iota}\alpha$ uteretur, si columna Harpagi filio adhuc vivo erecta esset. Cf. Homer. II. i 559 $\text{Ἴδew } \theta\ \acute{o}\varsigma\ \kappa\rho\acute{\alpha}\tau\iota\sigma\tau\iota\omicron\varsigma\ \acute{\epsilon}\pi\iota\chi\theta\omicron\nu\acute{\iota}\omicron\nu\ \gamma\acute{\epsilon}\nu\epsilon\tau\ \acute{\alpha}\nu\delta\rho\omega\upsilon\ \tau\omega\upsilon\ \tau\acute{o}\tau\epsilon.$ Pindar. Isthm. III 45 $\tau\omega\upsilon\ \tau\acute{o}\tau\ \acute{\epsilon}\acute{o}\nu\tau\omega\upsilon\ \text{---}\ \acute{\alpha}\omicron\iota\delta\acute{\omega}\nu,$ quibus oppositi sunt $\omicron\acute{\iota}\ \gamma\epsilon\ \nu\acute{\nu}.$